



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Ad III. V. Carolum Ferrarium Totium Senatorem Rothomagensem. Cum ei librum de bonis senectutis, ab I. V. D. P. scriptum remitteret. Epistolivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

JO. COMMIRII

188

Longeque iis lepidissimis phaleucis,
Quos misti mihi , disparest , remitto.
Sed tamen quia sunt mei , benigno
Illos accipies legesque vultu :
Et forsan quia sunt mei , placebunt.
Imo sunt potius tui : poëta
Nil enim suum habet ; sed ipse tantum
Esse avet tuus , & tuus vocari.

A D I L L . V.

CAROLUM FERRARIUM TOTIUM
SENATOREM ROTHOMAGENSEM.

*Cum ei librum de bonis senectutis , ab I. V. D. P.
scriptum remitteret.*

EPISTOLIUM.

R EMITTO aureolum tibi libellum ,
Dignum pyxide cedrina libellum
Sacras Mnemosynæ recondi in ædes ,
Cum Bruto , Senecaque , Tullioque ,
Et Catonibus , & Platone magno .
Nam nil dulcius & magis venustum :
Nil est sanctius & magis severum :
Seu luxus hominum , improbosque amores ,
Et raptam ante diem arguit juventam ;
Seu certam docet innocentia vita
Parari senibus beatitatem .
Hoc noctesque diesque lectitando ,
Ferrari , didicisse non pigebit
Quod te olim nive candidum verenda ,
Ætatis vetet invidere flori .

Ac ne fors metuas fidem libello
 Imprudens adhibere , cerne felix
 Auctoris senium : aureus libellus
 Nam quicquid docet , auctor experitur.

DE SUAVISSLIMIS PHALEUCIS

*Quos Philippus Labbeus è soc. Jesu febre continua æstuans
 paulo ante mortem fudit.*

DUM venis furit æstuosa febris ,
 Et lentis coquit ignibus medullas ,
 Labbeus canit , & suos tenellis
 Mulcet hendecasyllabis labores :
 Mortisque immemor imminentis , ore
 Nil mortale sonat : tibique , Christe ;
 Tibi , Virgo parens , suos vicissim
 Doloresque dicat , dicatque amores .
 Hos æger gemitus trahit canendo ;
 Has nocte atque die ciet querelas .
 Felices gemitus , pias querelas ,
 Quæ vincant numeros suaviores !
 O dulcis furor ; ô poëta felix !
 Quanquam cur voco Labbeum poëtam ?
 Curas , si sapiunt , suasque flamas
 Flent in funere , non canunt , poëtæ .

IN OLIVARIUM CROMVVELLIUM,

*Cujus in equo sedentis , & ad bellum procincti ,
 imago circumferebatur.*

SÆCLI Procrusten , atque Busirim sui ,
 Suique lanium regis , & furiam Angliae ,